



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia**

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

**Landsberg, Johannes Justus**

**Coloniae Agrippinae, 1630**

Pœnitentia cur acceleranda sit: dolor de peccatis quando sit vanus, quamq[ue] contritio vera sit hodie rarissima: emendatio item vsq[ue] ad mortem protelata, quam sit omnium periculosissima. Can. VII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

Vsquequo non confidis mihi? Quousque tyranno & hosti pessimo seruis? Quamdiu dona mea & quicquid à me habes, in illius cultum, in illius obsequium & in mei contemptum ac probrum, expendis? Abrenuntia diabolo & quasi paleam ipsum contemne.

*Animæ ex seruitio peccatorum, quantum sibi met damnum intulere:  
Deo hostique seruire, quantum discrimen: penitentia  
item dilata quam multos fefellit.*

## CANON VI.

**A** Nimaduerte filia cui iustius seruias, patri an tyranno: amatori, an hosti: creatori, an destructori: Ei à quo habes vitam, corpus & animam, an illi à quo nihil habes præterquam peccatorum foeditatem terribissimam, infirmitatem, instabilitatem, miseriam infelicitatemque sempiternam? Quæ comparatio mei ad Belial? Noli esse filia diaboli, quam feci ut filia sis Dei. Si tu destruxisti teipsum, si pactum rupisti, ego te scio reficere, ego scio te sanare. Noli modo conuersionem differre. Incerta es quando moriaris. Multos mors ipsa præuenit, multos spes vana fefellit, multi penitere volebant quando debebant exire, multi ad mortem penitentiam distulerunt: sed expectatio dorum vana fefellit eos. Tu igitur modo respice. *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis: Ambula dum lucem habes, ne tenebræ te comprehendant. Crede utili consilio; cui nisi credideris, dolebis aliquando quod non acquieueris modo. Verum tunc dolebis, quando dolori tuo nullum erit remedium, quando lætuiti tuo nulla potest adferri consolatio, quando damnationi tuæ nulla potest liberatio impetrari, nullaque erit tibi postea spes: sed horror, confusio, pœna, desperatio, ac perpetua à me separatio.* Modo igitur hæc verba in cor tuum sume: iuuabit aliquando salubri consilio credidisse. Si reuerfa ad me fueris, si meo consilio acquieueris, si amoris meo erga te gaudium nunc feceris, non deerit tibi prouidentia mea, inspiratio & vnctio mea docebunt te, ut non solum gratiam meam obtineas, sed ad sponsæ etiam nomen, ad amicitiam etiam meam peruenias. Fateor, difficile erit tibi assuetæ relinquere, difficile erit quæ delectat, subtrahere. At vide tu quanto in periculo sis constituta, vide in quo præcipitio verferis? Circuit aduersarius tuus diabolus, cui tu seruis, querens te deuorare atque deglutire, & tu super os inferni interim ambulans ludas: Ea enim agis quibus cum nulla, est vita salutis; quandoquidem pactum cum inferno & morte percussisti. Vita tua impia est & reproba. Spes vana & temeraria. Nihil times me offendere, ianuam gratiæ meæ tibi per impiam voluntatem obturasti, frigida es tota, & ab omni charitate aliena. Et interim promittis tibi veniam atque misericordiam, quam tamen cum possis non queris, sed nescio quo craftino tibi polliceris te conuertendam.

*Penitentia cur acceleranda sit, dolor de peccatis quando sit vanus:  
quamque contritio vera sit hodie rarissima, emendatio item  
vsque ad mortem protelata quam sit omnium  
periculosissima.*

Poenitere  
aut cito  
quisque de-  
beat.

Dolor de  
peccatis va-  
nus quis sit.

Apo. ii.

Poenitentia  
vera quam  
sit hodie  
rara.

Contritio  
in morte  
quam sit  
rara.

In morte  
cur pauci  
vere poeni-  
teant.

**O** Filia hodie incipe poenitentiam antequam peccata tua nimium crescant, hodie redi, hodie conuertere, quia sera conuersio in extremis vitæ periculosa est & raro salutaris. Licet confitearis tunc, licet lachrymeris, licet bonarum orationes tibi inuoces, hæc tamen omnia cum possint & plerumque solent fieri ex timore seruiti, non tibi sufficient ad salutem. Idem enim dolens, idem plangens, quia moriendo te ituram nouisti, teste conscientia, ad pœnas æternas. Conscientia ipsa tua accusat & damnat te. Velles non peccasse, Probe. At quare id velles? Probe. Et ne inferni te ream fecisses, ne pœnam æternam sustinere debeas. Propter te igitur, & ex amore priuato quo te ipsam diligis doles, non propter me. Huic poenitentia nihil ego debeo, hic plangens non delet reatum. Nam licet iam sis moritura, si tamen posses vivere, & si extra periculum mortis fores constituta, nequaquam plangeres, nequaquam emendares aut corrigeres vitam tuam: sed quæ sordidit, sordesceres adhuc, & maioribus te indies sordibus pollueres. Peccata moriens deseris. Verum quæ est ista desertio peccatorum, quando peccare amplius non potest? Desere peccata quamdiu potes peccare. Caue dum vales agere peccata, odi ac fuge peccata dum sana es, & dum potes amasse. Hæc poenitentia vera est, quæ mei causa, quæ mei amore plangit peccatum. Quapropter scito filia, è centum vix vnum vere poenitere qui in mortem suam poenitentiam differt. Quomodo enim ille obtinebit contritionem in morte, qui quamdiu viuit semper vult peccare? Quomodo in morte dolebit, qui mei causa nunquam quod me offendit ante hac dolere voluit? Proinde miraculo non minus est, si quando in morte contritionem atque dolorem infundo cuiquam, qui hæcenus semper peccans ad mortem graui peccatorum sarcina onustus venit, quam tamen deponere cum potuisset in vita & dum sanus foret, noluit. Prodigiosa inquam res est impœnitentem tunc subito mutari in vere poenitentem, & ex Ethiope ilico fieri album. Si quis tamen in se senserit in morte, tamen si cum peccatis ad mortem veniat, ut potest ante mortem durat semper, & qui ad hanc ipsam horam poenitentiam distulerit: si inquam senserit, ut ex charitate qua me diligere, subito mutatus, incipit, doleat. Atque doleat plus propterea quod me offenderit, quam quod sibi poenam comparauerit æternam. Non desperet, sed confidat firma spe super bonitate mea innixus, quia non peribit: quamdiu nanque anima coniuncta manet corpori, poenitendi est tempus, & nulla hora poenitentiam ego non accipio, si vera est, quomodo illam esse debere prædixi. At paucissimis hæc gratia datur. Siquidem habitus peccandi ac consuendo non poenitendi simul tunc cum tristitia & horrore mortis, obruunt eiusmodi animam in morte, ut nihil nisi pœnas, nihil præter iusta iudicia mea, cum desperatione veniæ possint cogitari. Aspicit enim tunc peccata sua absque respectu aut consideratione misericordie meæ, quo se ipsam antequam iudico ego, damnat: atque desperat.

*Ut anima sese ad confessionem peccatorum animare, demonemque ac verecundiam superbam superare debeat, quænam item faciant facile peccata deserere.*

**C**ur itaque o filia tu paribus tantisq; iam vis mergi periculis? Cur ad mortem tua peccata differes confiteri? Quid hominem peccatorem erubescis? Et ipse cui tu te accusas peccator est. Pone igitur pedem super dzmone vnum, alterum pone super verecundiam, aut potius superbiam tuam, & euome viras quod tibi diabolica insauit illusio. Homo est qui te audit similis tui, aut te fortasse in periculis profundior. Quid refert, si hoc illud ve homo de te cogitet? Sim tibi amicus ego, & totus mundus infestus, quid tibi nocebit? Reuertere igitur ad me filia, & execrare dum execrandi tempus est, mala opera tua. Inspice quanta patior pro te. Loquacitatem, luxum, peccata ventris, curiositatem, otium, aliaq; peccata cito superabis, si pœnas meas, si vulnera, si fidelissimum denique erga te amorem meum meditata fueris. Consolaberis, atque in aliam mutaberis. Non erit graue delictis abstinere, non erit molestum carere mundi gaudijs, non erit triste honoribus destitui, quia hæc omnia suauiori modo ac castiori in me reperies. Si impugnat diabolus, ad vulnera mea confuges. Si molestiam sentis aut pœnam, dulcorabunt tibi has angustias meæ. Cæterum si passio te hæc mea non commouerit, si mea charitas te accendere nequiverit, vel pœna æterna te perterreat. Recordare quam breuis momentaneaq; sit delectatio peccati: contra verò quam sine fine perpetuoq; duratura sequatur pœna. Cogita quid sit æternum quod nunquam finietur. Quantumlibet dempseris de æterno, siue de eo quod sine caret, quantislibet annis pœnas tolleraueris, tantundem semper adhuc restat, nunquam enim potest minui, quod sine caret. Et, tunc in illas gehennæ pœnas te præcipitabis, ne breui modo careas delectatione? Tunc tam breue gaudium quod est vnius momenti sempiternis tibi comparabis supplicijs? Verùm de hoc iam satis. Quæ tibi post hæc necessaria sunt, si præbueris aurem, alio tempore adijciam. Respice, resurge, & Viue.

Quenam faciant facile peccata desistere.

**D. IOAN. IVSTI LANSBERGII.**  
In alloquiorum Iesu Christi,  
Partem II.

PRAEFATIO.

**E**go diligentes me diligo, & delicta meæ esse cum filijs hominũ. Sic dilexi mundum vt in mortem darem animam meam, ne pereat, sed habeat vitam æternam quicumque in me crediderit. Ego ð anima pro te laboraui, esuriui, sitiui, contemptum & persecutionem passus sum. Vulneratus sum propter iniquitates tuas, attritus propter scelera tua, mortuus propter delicta tua, resurrexi propter justificationem tuam. Ad hæc omnia me impulit amor, quo te diligo, & in filiam adoptionis adquisico. Itaque tu respiciens, adamantem reuertere, in vulnerum meorum sanguine laua te, virtutibus & vita meæ meritis vestire. Omnia hæc libens tribuo, nã vt amantissimus pater hæc offerens tibi occurro in amplexum, ad osculum te recipio, & ad redamandum te inuito. Reuertere filia, & mundare. Prebe cor tuum mihi, quia præter hoc aliud abs te non desidero. Porro, quomodo tota ad me reuertaris, quomodo in corde tuo mihi delicias præpares, quomodo amorem meum respicias, quo denique modo tu quoque respiciaris, aduerte.

Pro. 8.  
Hier. 12.  
Ioan. 3.  
Esaie 1.  
Esaie 53.  
Rom. 6.

Pro. 21.